

non simpliciter à Sale, sed à sale cum terrestri materia, vel (quod in metallis locum habet) cum sulphure fixo certa proportione misto ortum habent, quibus etiam in quibusdam ad concretionem necessarium addit Excell. Dn. Præses spiritum lapidificum, vel succum lapidescentem.

### XLIII.

Sulphur.

Sulphur, quod secundum est Chymicorum principium producit 1. inflammabilitatem. Ignis enim, ut Elementum non inflammabile est, nisi ob vapores sulphureos ad mixtos, adeoq; quatenus mistum. 2. odorem qui omnis à Sulphure. 3. colores, de quibus, tamen res adhuc est intricatior.

### XLIV.

Licet autem non omne corpus inflammetur & ardeat: tamen exinde non licet inferre, Sulphur illis non inesse, vel non omne Sulphur esse inflammabile, sicut nec Sal illis corporibus, quæ integra insipida sunt, denegandum, quia videlicet ob reliquorum prædominium sensibus non est obvium.

### XLV.

Mercurius.

Tandem de Mercurio res quidē est intricatior; definimus tamen eum, quod sit liquor aliquis spirituosus vel spiritus, qui tamen à Sulphure subtili & sale volatili vix separari possit; neque tamen ideo quod solus non conspicitur, negandus, nisi ipsa Elementa negare velimus.

### XLVI.

De hoc Mercurio Excell. Dn. Præses sic scribit: *Si præter Salem & Sulphur, phlegma & terram mortuam aliquid amplius in corporibus naturalibus continetur, illud esse spiritum illud esse spiritum illum & ἕσται ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρον στοιχείῳ, secundum Aristotelem statuo.*

### XLVII.

Hæc ergo sunt principia, quibus inveniendis occasionem Chymia præbuit, quæ ex Elementis quidem materiam, formas tamen ipsis nobiliores habere jam antea dictum.

48. Ex